Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 361

Quelle:
Copyright:

III. *fol.* 68. p. 2. *Incipit alius (Liber) metricus. qui dicitur Stella puerorum.* Initium Prooemii:

Naſcitur omnis homo rudis infans exul egenus &c.

Ratio mox ſcriptionis et tituli ita datur:

Sed quia doctores quidam ſibi tempora multa
Perdunt et pueris hijs friuola ſepe legentes,
Nec curant, ut eos doceant cognoſcere chriſtum
Declinare malum virtutum querere fructus
Dicentes forſan nos talia non docuerunt
Noſtri doctores nec habemus congrua ſcripta
Ex quibus hec ſcire poſſimus ſcita docere
Si placet iſta legant que de virtutibus extant
Vt velut ad chriſtum uenere magi duce ſtella
Quam ſcriptura fidem vocat et gloſator aperte
Sic ſtellis iſtis mediantibus inuenietur
Chriſtus et hoc ſcriptum puerorum ſtella uocetur.
Pamphilus aut greca ſeruentur. et iſta legantur.

Pamphilum hic *Maurilianum* intelligi puto, quem obiter tangunt *Lyſerus* in *Hiſt. Poet.* p. 2071. et *Fabricius Bibl. lat.* L. I. c. 15. Ad hunc modum *Alexander de Villa Dei* commendat *Doctrinale* ſuum:

Meque legant Pueri pro nugis Maxminiani,

quo loco facile *Mauriliani* ſubſtitui poſſet. *Stellae* porro noſtrae Οικονομιαν dabo ex iis, quae antiqua manus calci addidit: *Iſtius Opuſculi ſunt tres partes. In prima agitur de virtutibus Theologicis ſ. fide ſpe et caritate. In 2ª. de feſtis et gracijs beate virginis marie. In 3ª. de virtutibus cardinalibus* &c. Partes hae in Particulas ſive *Stellas* abeunt. Initium:

Eſt Deus vnus et omnipotens noſter Deus, a quo
Celum terra mare lacus inferni paradiſus
Primum condita ſunt &c.

Finis prolixi Poematis:

Rex et plaſmator chriſtus ihеſus mediator.
Complet ſifridus, incepit quod thidericus.